



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Armenica prima & secunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE SCUTIS. CAP. XXXIII.

Locus exigit, ut hastis scuta etiam adjiciantur, quorum varia sunt hieroglyphica, quia varia sunt ^{Scuto donati.} ^{Ensid. l. 9.} eorum species, varii etiam usus, neque facile est omnium rationes exquirere in tam varia tamque frequenti armorum pene omnium mutatione, quae unaquaque aetate facta est: eas tamen non formas amplectemur, quas in numis, aut veterum monumentis figuras observavimus.

STRENUUS II. CAP. XXXIV.

Patri honore cum hasta scutum fuit, quo inter praemia reliqua militaria donari soliti sunt, qui strenue fecissent, cujus rei exempla passim apud historicos. Et apud Virgilium Aeneas clypeum afferri iussit, quo juvenem egregium Nisum praestanti munere donaret. Praecipuum vero honorificum apud Argivos fuit scutum Enhippi, puero, qui tale aliquid meruisset, gestandum tradere, eoque inserto pompam ducere. Argivi porro primi omnium scutis ligneis usi, eo praelio quod inter Proetum & Acresum fratrem gestum est, pro tyrannide occupanda. Sedenim de honoribus inferius.

SALUS. CAP. XXXV.

Cum Palladium superius caelo lapsum, scutum fuisse diceremus, significatum ejus ad Imperii tu- ^{Peltae caelo} ^{delapsae.} telam spectare interpretati sumus. At identidem observatum est Peltae quoque significatum salutis esse, quod interpretatione Numae desumptum est: is enim delapsam caelo peltam salutem urbi immissam interpretatus est, cum octavo ejus anno pestilentia per universam Italiam debacchata, Romam quoque urbem invasisset. Utrum vero gravis alioquin author peltam proprie necne dixerit, quod scutum Numae tempore caelo delapsum fertur, & lapsa ancilia caelo Maro dixerat, alii viderint. ^{En. lib. 9.} Legi tamen de Salorum ornatu, consueisse illos capite gestare pileum instar conii, non obrotundum, ut vulgo: thoraca aeneum induere, dextera manu ancile, laeva peltam aeneam circumtulisse: quamvis, ut dictum, & laeva ancile gerebat, legamus.

PELTAE FORMA. CAP. XXXVI.

Quoniam vero pelta Maroni lunata dicitur, operae pretium me factum crediderim, si figuram ejus ex antiquis monumentis describero. Nam ea Romae multis locis aspicitur, nusquam tamen speciosius quam in marmore quodam conditorio, quod nunc in hortis Pontificio Palatio subiectis pro aquae temporariae alveo ab Leonina porticu spectatur. Ibi pugna quaedam Amazonum incisa mira quadam arte, sive ea Trojana sit, sive, quod potius reor, quae ad id genus erraticis in Scythia commissa est. Ita viri mulieribus parcere, invitique obviam fauciare videntur, cupereque eas potius captivas facere, quam laedere. Omnes illae peltis armatae sunt, quarum species in hunc modum describi potest: ut scilicet circulus descriptus linea diametrali dissecetur, pars altera quantum cubiti manusque ministerio inserviat relinquatur, altera duobus a lateribus excavetur, ita ut in eorum medio spatium sit insertando brachio, cujus hoc sit propugnaculum. Extrema ad scuti marginem lunentur in cornua. Orbes illi duo hinc inde exempti, insertanda si opus sit hastae alter commodus, alter ad inspectandum inserviat.

PRIMA ARMENICA. CAP. XXXVII.

Variabat vero peltarum forma, qua parte manus erat inferenda: ut in prima Armenica incisura erat rectangularis.

SECUNDA ARMENICA. CAP. XXXVIII.

Quae in secunda, orbicularis fieri consuevit. Tum etiam coribus, cum pelta primae caeruleo color est, in alba parma: secunda vero, purpurea in parma ipsa caerulea: in utraque vero pelta aureus umbilicus.



En. lib. 6.



XXX 2

MENA-